



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

III. Practicæ Resolutiones circa prædicta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

nocet moroso debitori. 4. Si nullum pactum tacitum, vel expressum factum est circa incrementum, vel decrementum, soluendaque sit certa nummorum species: ea facienda erit secundum aestimationem tempore solutionis. 5. Si ab initio nihii expressum est de pecunia certae materiae, & formae, nec de incremento, vel decremento, solui debet valor, quem pecunia habuerit tempore contractus, siue valor postea mutetur, siue non.

21. *Licitum ne erit Cambium ad incertam solutionem?* Ita planè. Si periculum augmenti, aut decrementi aequale sit. Sic etiam Cambium ad creditum, & Cambium ratione officij nullam continet iniustitiam.

22. *Si pecunia sit ravior, aut maior quantitas pecuniae cambienda, plus ne mercedis à campfore exigi potest?* Quis dubitet?

CAPUT III.

*Praxis circa materiam de Cambijs ex Societatis
I E S V Schola.*

23. **Q**uando campfarius differt solutionem provisionum, potest ne campfor illas adicere sorti principali, & cambium augere? Afferit Lessius lib. 2. cap. 23. dubitat. 9. num. 85. quia campfores moraliter certi sunt, se illum lucrum potuisse statim ad cambium dare, & per illud lucrari, quod lucrum iam cessat.

24. Campfor, qui bona fide dat pecuniam Matrivi Lugduni soluendam, putans campfarium illam Lugduni habere: potest ne certior factus, ordinarium lucrum accipere? Afferit Molin. Molina tom. 2. tract. 2. disput. 404. num. 7. quia cum campfor bona fide contractum ex parte sua impleverit, tenetur quoque campfarius ex sua parte implere, quantum potest; vel soluere campfori, quod ex impletionis defectu amisit. Ast Salas de Cambijs dubitat. 13. num. 2. contrarium asseruit; quia campfarius fictè, & sine animo se obligandi promisit, unde ad illud non tenetur. Molinae sub-
scribo.

25. Scio Pium V. in Bulla prohibuisse pactum de certo ac determinato lucro in cambijs à principio. At quia haec prohibitio fundata est in fraudis usuraria praesumptione: rogatus,

num, fraude ablata, huiusmodi pactum obliget in conscientias Obligat, si moraliter certum fit, illud esse iustum, sine vlla fraudis suspicione, Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 11. num. 90. Con- Less. trarium asseruit Filliucius tom. 2. tract. 35. p. 2. c. 7. num. 424. Filliuc. & Rebellus p. 2. lib. 11. q. 3. num. 5. Rebell.

26. Est ne licitum Cambium, cum pro campario respon- det procurator camporis de ipsius camporis pecuniis? Li- licitum esse videtur, (ait Lessius) modò campor non ha- Less. beat peruersam intentionem lucrandi ex dilatione solu- tionis.

27. Debetur ne aliquid pro Cambij prouisione? Affir- mat Lessius ex consuetudine inueterata deberi tertiam Less. partem scuti pro singulis ^{centenis} contentis scutis: idèmq; sumi posse pro prouisionibus recambiorum, & continuationum toties quoties. Ego quidem assero non debere campores à campariis sumere integrum interesse Cambij in conti- nuationibus.

28. Peccat ne mortaliter campor, si à principio paciscatur cum campario certum, ac determinatum interesse, etiam in casu non solutionis? Non peccare asserit Reginaldus, modò mora- Reginald. liter constet illud esse iustum.

29. Quomodo crescit valor pecunie ad Cambium? Ex Tolero & aliis respondeo plus valere præsentem loco, quàm Tolet. absentem: item cum multi accipiunt ad Cambium, & pauci dant: item ob metallum, figuram, pondus, temporis occasio- nem, dubium de valoris mutatione, raritatem, aut dantis incommodum.

30. Quadam lex prohibet Cambium per litteras in eodem Regno: est ne tamen licitum? Ex Nauarro Saa docet legem Saa. illam fraudem præsumere, quæ si absit, non intendere prohibere. Idem consequenter affirmo de Cambijs omni- bus alioquin licitis, aut Cambiorum licitis conditioni- bus, lege si aliqua prohibeantur; cessante enim fraude, quam lex præsumit, fieri possunt, nisi ex ipsa lege, vel consuetudine oppositum constet.